


L A C V S.



BASIS DECLARATIO.

Iam autoris uerba declaremus. Singulae bases (inquit) quatuor cubitos in longitudinem A B, & totidem in latitudinem patebant A C. In altitudinem tres B D. Areolas habebant clausulis interiectas E. Quamquam quod uertimus Areolas, id in Exodo in mensae descriptione significat marginem. Sed illic à claudendo dicitur, quoniam claudit: hic, quoniam clauditur, quod inde fit perspicuum, quòd dicuntur areole clausulis interiectae. Clausulae sunt ipsae teniae, quae circumdant areolas quatuordecim, leonibus, bubus, Cherubis & palmis depictis, humanae speciei: hoc enim addit ad extremum, id quod est de Cherubis intelligendum, quorum figura erat qualis hominis. Atque haec quidem depicta pars erat, qualis est qui ab architectis in summa trabeculatione uocatur Zoophorus, ut areolae locum obtineant operum, clausulae autem triglyphorum.

Clausulis superadditi tori.) לִיָּהּ toros ne, an cymatia, a scotis. an simas significet, non iam mihi constat: ne quis erret. Interca toros appellabo. Quod si tori sunt, simos appellat, qui non perfectam habeant rotundationem, sed ad circumum

delumbatam.

Aeneosque asseres.) Asseres uocat ipsam eris materiam, ex qua confectae sunt bases: tametsi hic asserum uocabulo abutimur, cum asseres proprie sint lignei.

Et in quatuor angulis humeros.) Bases quatuor angulos habebant, non reliquo plano pares, sed in humerorum modum protumentes, qui lauacrorum uentres exciperent, collocati contra & supra toros, quibus ambiebantur bases: qui humeri litera F signantur. G est lauacrum. H capitulum.

Lauacri os intus, &c.) In medio basis capite assurgebat in dimidium cubitum capitulum rotundum, quod inferebatur in sinum, quem lauacrum habebat in fundo intus protuberantem. Ita fiebat, ut cum lauacri os ab imo fundo ad summam crepidinam in altum pateret unum cubitum & dimidium, à capituli summo ad crepidinam pateret tantum unum cubitum, quoniam capitulum detrahebat dimidium cubitum. Hoc quia obscurius est, neque pictura, quam posuimus, propter aspectus rationem, exprimi potuit, declarabo crassiore uerba.

☪☪

Basium